
SACRA
EXQVILIARVM NIVIVM
METAMORPHOSIS
CARMINE DICTA
IN ECCLESIA S. MARIAE IN CAMPITELLO

A

MARCELLO CREMONA
Congregationis B. Mariæ ad Niues Sodali.

Ad Eminentiss. & Reuerendiss. Principem

CAESAREM
RASPONIVM
S. R. E. CARDINALEM AMPLISSIMVM.





ROMAE, Ex Typographia Michaelis Herculis. MDCLXXI.
Superiorum permissu.



EMINENTISS. PRINCIPI

CAESARI


S. R. E. CARDINALI

RASPONIO

MARCELLVS CREMONA

F. P.





DVM sacræ huic METAMORPHOSI, tenuissimæ Musæ meæ ludicro, Patronum quæro, FORTVNA illa quam ex MALA, innocenti Exquiliarum Niuium Veneficio, in BONAM conuersam fuisse assimulo, Te mihi peropportunè exhibet, E. P. Neque verò hîc prolixiori precum ambitu Te mihi prensandum esse existimo, cùm nequaquam talem esse credam, qui (vt de Siciliæ illo Prætore Romanæ eloquentiæ Parens facetè magis,

Orat. 9. in Ver. gis; quàm verè pronunciauit) *Fortunam Bonam domi tuæ habere nolis*. Imó certó certius ſcio, ambabus Gentilitij Stemmatis Tui manibus, illam ſuſcipies, amplectèris, & ne dum DOMI, ſed vel ſinu fouebis. Sunt quidem hæ Leonis; at nihil Leonis habent, niſi Clementiam, ac Liberalitatem. Quamobrem tutiſſima inter innoxios earum vngues, nec rugitu territa, nec dentibus tentata (nimirum Tantus eſt Tuus Leo, vt ex vnguibus tantùm poſſit agnoſci) BONA hæc mea FORTVNA commorabitur.



SACRA

SACRA EXQVILIARVM NIVIVM METAMORPHOSIS:

CARMEN;



PRonior in casus tandem Fortuna Triumpho
VIRGINIS accedet: vitreum melioribus orbē
Conteret auspicijs,Latialis perfida Regni.
Huc rapit hærentem Phœbus,iã corde furores
Magna tonaturũ extimulant,agit ipsa choræas
Tempora Melpomene fuluis redimita corymbis.
Aut leuis arguti supremo à vertice Pindi
Plauserit in numerum,Zephiris motantibus, arbos
Phocidos, aut trepidum murmur meditata sub antro
Garrula Pimplæis colluserit vnda Camænis;
Vnda mihi Versus, Versus mihi personat aura.
Ergo age, mutatum infaustæ Rhamnusidis Orbem,
Conuersasque vices rerum NIVIS inter, & ignis
Prodigia, & Romæ iam candida secla canamus.
Exquilij decliue iugum, qua parte procellis
Vapulat alpinis, Vrsæque afflatibus alget,
Incoluit quondam posito, Fortuna, Sacello,
Cui mala cognomen formidinis addidit error.
Tetrior est illi facies, tegit horrida frontem
Fulminibus nubes, & diris fęta procellis.
Cura supercilium contraxit, vtrimque sub ipso
Sanguine

Sanguine flammantes oculi miſcentur, & igni.
Atque os, atque acies, atque omnis forma furentem
Indicat; haud vnquam nocitura pondera torpent
Sæua manus, ſuper illa metus, ſuper aggerat iras,
Conſcia quòd ſolus fecit ſibi Numina terror.
Ergo profanatis olim conſederat Aris
Numinis hoc monſtrum; tercentum exegerat annos,
Bis totidem ſperabat adhuc; cum fortè per Vrbem
Fatorum Dominus de cardine Victor Eoo,
Sanguine Virgineo, Diuoque afflamine cretus
Vulgatus, ceptuſque coli, precibuſque vocari.
Huius ad Imperium toto Mauortius orbe
Bellum exarmarat populus, nec Barbara Memphis,
Nec Tagus inuadunt collatis prælia ſignis.
Indoluit ſed enim rebus Fortuna ſecundis;
Inde per Exquilij Tumulos, Araſque relictas
Voluitur, & mentem furijs accenſa profatur:
Nulla ne iam noſtris inducitur hoſtia Templis?
Nullus honor? nullo tinguntur ſanguine cultri?
Deſpicimur, fractęque minæ, terrorque, pauorque
Et mala ſum gratis. Quid ſi tranquilla iacerem?
Quid niſi contortis cumularem funera telis?
Scilicet experiar quicquid Rhamnuſidis orbis,
Et furor, & fulmen poſſit. Iuuat ergo ruinas
Ire per aduerſas: Luctentur fluctibus Euri:
Mergat Erytræas auido ſub gurgite Gazas
Nauita; Me Dominam vincentibus inuocet vndis:
Sit grando, gelidoque ruens populetur Ariſtas
Verbere; Me Dominam ieiunus diſcat Arator.
Bella fremant, Scythicis Latium circumtonet armis,
Sueſcat

Suescat Barbarico deuinci Marte Latinus
Ductor; Me Dominam saltem moriturus adoret.
Dixerat: extemplo famulæ glomerantur ab Orco
Eumenides; circum exercent vaga monstra furores.
Hinc labor, inde metus, clades, contagia, pestes,
Damni materies terræ, pelagique tumultus,
Tortoresque Hydri, flammisque sequacibus vmbræ.
Ipsa, volubilibus, Dea labitur acta Quadrigis,
Itque, reditque vias, & præcipitantibus Euris
Voluitur, inflectit, subitòque reflectit habenas,
Colludens reditura sibi, sibique obuia semper
Cedit, & aduerso relegit vestigia motu.
Implesset furibunda minas, ni cardine moto
Damna cauens generi, contra impia tela furentis
Mitis, hyperboreas, armasset VIRGO procellas.
Namque repentino, medijs feruoribus, imbre,
Visa per insidias noctis volitare serenæ
Vellera pura NIVIS. Candenti aspergine summo
Lubricus Exquilio callis fuit. Vnda caduco
Stricta gelu fraudem molitur: subdola plantis,
Falsaque plus æquo abiungens vestigia tractu
Nocturnum præcludit iter, lapsuque retardat.
Huc Fortuna rotas egit male sana volucres;
Hàc ignara doli fors improba torsit habenas.
Vtque locum tetigit, nigranti noctis in vmbra
Candida fraus patuit; versantur ab impete Currus,
Alipedes labuntur equi: cadit huc, cadit illuc,
Et casus Dominam casus regit. Illa furenti
Tractans lora manu, vacuum per inane citatos
Quadrupedes vesana rapit; sed turbine cœco

Nimbo-

Nimbosis Boream flabris dum prouocat Auster
Obruitur tenebris, vento pulsatur, & imbre;
Ingeminant hyemes, tempestatumque flagellis
Cæditur, ex altoque trahit peritura ruinas.
Ergo siue fretis incumbent parciùs Euri,
Seu Lybicas impunè Tyrus peruadet arenas,
Nec mare Panchæas auido sub gurgite messes
Fluctibus inuoluet; securus Navita, VIRGO,
Te Pelagi Dominam plaudentibus inuocet vndis.
Si matutinis gemmascent roribus herbæ,
Ambrosiusque Polo per consita decidet imber;
Magnaque non magno veniet tritura labore,
Te Dominam, VIRGO, plenis vocet Area culmis.
Vertat Ithuræum nisi Barbara cornus in arcum
Exitiumque ferat Latio; nisi Dacus ab Istro
Non suffecturi delibet Tibridis amnem;
Pacatus, Dominam Te VIRGO, Quirinus adoret.
Sors Nigra, iam NIVEIS concessit abacta procellis;
CANDIDA sic MARIAM fraus addecet: Ergo futura
Proferet auspicijs iam se melioribus ætas,
Atque abiurato cedens Fortuna Sacello,
Improba Victricis lambet Vestigia DIVAE.
Aut suspensa Tholis, Currusque, rotasque volucres,
VIRGINIS æternum proponet in Aede Triumphum;
Quo subter memorem versus Adamanta notabunt:
Exquilias, Templumque olim Fortuna tenebat,
Quæ nunc VIRGO tenens, celso præponit Olympo.

LAVS DEO.

